

I. ^aLITTERAE RESTIUM PRO BELLICA EXPEDITIONE^a

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc.^b Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis et civibus ceterisque cuiuscumque status, condicionis et praeeminentiae subditis nostris, bona quaecumque terrestria hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem bellicam generalem de iure vel consuetudine regni nostri obligatis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles et famati, sincere nobis et fideles dilecti.

Ex eo tempore, quo regimine^c hoc nostrum suscepimus nunquam nobis ^dantiquis quicquam^d fuit, quam ut prospiceremus^e ne quid nostra culpa ac negligentia regnum ac dominia nostra caperent ^fdetrimenti ac omni^f cura et diligentia in eam rem semper incubuimus, ut fines regni nostri ab incursionibus hostium tuti essent. Cuius rei eum fructum cepimus, quodque olim cultoribus desertae provinciae regni nostri videbant^g hae nunc frequentissimis^h vicis et oppidis habitentur ⁱquo magis prospiciendum nobis putamusⁱ, ut ne quavis hostium repentina pristina illis inducat solitudine. Itaque anno hoc Cracouiae in dicto regni conventu egimus sedulo cum omnibus regni nostri ordinibus, ut aliqua ratio iniri possit, ne provinciae regni nostri hostibus vicinae nudate praesidiis relinquantur. Ceterum tum^j proficere nihil possemus rebusque infectis conventus solutus sit, cum reliquum^k nobis nihil^k sit, si qua vis hostium ingruat, quam, ut concitato ad bellum ^lequestri ordine^l hostibus obviam iremus. Satius nobis visum est admovere omnes, qui arma ex legibus et consuetudine regni nostri contra hostes ferre tenentur, ut in armis sint quam expectare, ut in imparatos nos hostes opprimant. Hoc praesertim tempore quo manis quam unquam antea regno nostro periculum impendere videtur non modo a Tartaris verum etiam ab aliis potentioribus quorum in servandis foederibus dubiae est fides dum utilitate sua omnia meliuntur^m, neque diutius pactis stant quoniamⁿ quoad ea firma esse, sua interesse intelligunt. Quamobrem vobis omnibus et singulis mandamus praesentibus^o litteris quas ex sententia consiliariorum regni nostri vim primarum et secundarum restium habere volumus, equos paretis arma expeditis, ac quibus ad bellum gerendum opus sit, curetis. Ut cum per litteras nostras quae tertiarum restium vim habebunt locum et diem quo convenire vos oporteat designaverimus nihil morando pro debito vestro conveniatis. Interea ^ptamen iudicia exerceri^p volumus quoad tertiarum restium litterae missae a nobis fuerint. Has vero litteris nihil morando alter alteri viciniore perferendas curet. Ultimus vero loci capitaneo eas remittet. Sub gravi ^qindignatione nostra^q et bonorum omnium confiscatione^r aliter non facturi. Datum Cracouiae tredecima^s Martii anno Domini MDXLV^t [13 III 1545], regni nostri XXXIX. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium^u.

^{a-a} Litterae restium *G. Sier.* Litterae primarum et secundarum restium ob periculum a Tartaris et aliis hostibus imminens *w: MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 21905, s. 239.* ^b supremus dux Lituanie, Russie, Prussie, Mazouie etc. dominus et haeres *G. Sier.* ^c Regnum *G. Sier.* ^{d-d} quidquam antiquis *G. Sier.* ^e prospicere *G. Sier.* ^{f-f} detrimenta ac omnia *G. Sier.* ^g videbantur *G. Sier.* ^h frequentis nostris *G. Sier.* ⁱ⁻ⁱ quae magis prospicientiae nobis putavimus *G. Sier.* ^j cim *G. Sier.* ^{k-k} nihil nobis *G. Sier.* ^{l-l} ordine equestri *G. Sier.* ^m *Odczyt niepewny; może: metinutuo?* ⁿ quam *G. Sier.* ^o praesentis *G. Sier.* ^{p-p} autem exerceri iudicia *G. Sier.* ^{q-q} indignationem nostram *G. Sier.* ^r confiscationem *G. Sier.* ^s 13 *G. Sier.* ^t 1545 *G. Sier.*

^u *MRPS, cz. VI, vol. 1, nr 7318, s. 421, dodaje:* Missi cum litteris: Stanislaus Lipniczki ad capitaneos: Brzezinsensem, Wielunensem, Siradiensensem, Calissiensensem, Posnaniensem, Costensem, Coninensem, Boleslaviensem, Naklensem, Kczinensem, Ostrzessoviensem, Modrzicensensem, Wschoviensem, Pysdrensem; Albertus Crassienski ad capitaneos: Lanciensem, Przedecensem, Brzestensem, Radzieiowiensem, Inovladislaviensem, Niessoviensem, Dobrzinensem, Kowaliensem, Crusviciensem, Bidgostiensem; Stanislaus Podoski ad capitaneos: Plocensem, Ravensensem, Sochaczoviensem, Gostinensem (cui praesenti datae litterae restium), Wyshegradiensem, Cziechanoviensem, Zacroczimensem, Warschoviensem, Czernensem, Livensem, Lomzensensem, Viznensem, Nurensem, Rozanensem.